De sancta Helena

morte turpissima dampnando per imperialem vestram sententiam iudicavimus. Et
bona eorum quibus mobilia et immobilia confiscavimus. Et statim mittens
dictos oratores capi mandavit et fecit ac bona ipsorum confiscavit
et confiscata omnia et singula Helene ac Constantino filio suo et eius uxori
tradidit integraliter et donavit. Oratores autem huiusmodi in questionibus
poni et ab eis veritatem inquiri de premissis mandavit. Et fecit ut a morte
et maxime Romanorum qui inventores huiusmodi questionum extitisse inferuntur. Tandem
per confessionem ipsorum inventum fuit verum totaliter ita esse quemadmodum Helena
et eius filius Constantinus ipsi imperatori intulerat ut predixi. Unde impera-
tor dictos oratores post multa suppliciorum genera que eis inponi iussit
tandem capita fecit sibi [illegible] et gladio decollari. Postmodum Constan-
tinus imperator Romanorum certa de premissis veritate accepta quod omnia
et singula que Helena et Constantinus eius filius de se et imperatoris Grecorum
filia retulerant vera erant. De eis quoque ad plenum certificatus. Misit solem-
nes suos legatos et nuncios ad Greciam ac imperatori Grecorum fecit tota-
liter rei seriem intimari. Qualiter duo oratores predictum Constantinum ad eum
fraudulenter perduxerant ac filiam suam eo quod ipsi fecerant sua et voluntate
in premissis et contra ea fecerunt callide et in uxorem copulari fecerant.
Qualiter ipsos ad quandam insulam ut ibidem fame deficerent perduxerant
ac eis ibi relictis Romam reversi fuerant et qualiter quidam boni homines non absque
nutu deorum Romanorum prope ipsam insulam navigantes ipsos quoque sic eos
clamantes invenerunt et ad Romam perduxerunt. Qualiter et de hiis omnibus
satis miraculose se repperit veritatem. De quibus oratoribus sic male egerant
et filiam suam contra deum [illegible] inferri fecerat supplicium dire mortis. Recepto
autem hiis nunciis imperator Grecorum et imperatrix in tantum prorupit
dolorem et gemitus vehementia quod videbatur extra mentem positi et se
ipsos velle iugulare. Quos videntes ambassiatores et nuncii ipsius
imperatoris Romani dixerunt eis. Nolite contristari nolite itaque facere
domine mi imperator Romanorum sic quod suam decuit maiestatem nolite tam
gloriosam dominam vestram filiam fore tam miserabiliter seductam. Mox veritate
sic huiusmodi contra Constantinum filium suum et vestram filiam eius uxorem suos
constituit heredes et Romani imperii successores. Et vult si placet
omnia que per predictos oratores licet callide tractata fuerant vobiscum
totaliter confirmare pacemque perpetuam vobiscum facere et firmare. Quo audientes
imperator Grecorum una cum imperatrice ad se reversi pre gaudio lacrimas
effuderunt dicentes. Vivat imperator Romanorum et imperet in perpetuum
[illegible] feliciter et post mortem cum diis pluribus eternam quod sua pietate quod
tam nos et nostram filiam vinctam facit recipiat gloriam et honorem. Et nos
vicissim secum non solum pacem facere et firmare volumus sed ipsum [illegible]